

BIJLAGE  DE KARAKTERTEKENINGEN DOOR JOOST SMETS.

BRUSSEL, Kon. Bibl., hs 5764 (cat 3860), f. 38r-v. ; 39r-v. ; 40r-v;
42-43

Item anno MCCCCLXI altera Prisce virginis fuit hic vestitus dms Joannes Biest sacerdos qui circ xv annos satis religiose conversatus e diligens scriptor existens dummodo Marcellius vicarius eligeretur in priorem Henrico misericordiam ipetrato per capitulum ordinatus est predictus frater Joannes Biest in vicarium et in eodem officium deguit cum Marcelio priore xii annis et etiam cum successore eius priore Matthis Tsergeossens xvii annis. In quo officio multos libros fecit in scribendo videns enim ecclesiam nostram sobrie provisam sicut sepius mihi narravit in animo concepit ut cum labore proprio eam in libris necessariis ornaret. Unde infra nominatos libros scriptis sc tria missalia cum dimidio vel quatuor. Omeliare festivale, dialogum Georgii cum omeliis eiusdem super Ezechielem /v et super cantica. Tres maiores antiphonaries Ecclesie, sed tertius tamen solum scriptus textualiter est ab eo quia morte preventus reliqua sc note et glossa floretis completa fuit per fratrem Judocum discipulum suum etiam postea vicarium. Moralia Gregorii quoad primam et secundam partes. Horas de Domina cum horario diurno ad legendum in cella et quotuot vel quinque gradualia notavit. Et plura alia pro extraneis salva obedientia et mercede pro utilitate communi inveniente. Insuper multa opprobria et impropria et contradictionem sustinuit a fratribus conventualibus satis injuste et sepius sine causa. Sed patienter sustinens taciturnitate et sillicitudine omnes devicit. Unde sepius sicut vidimus quando quidam ei imprpria aut vituperia invexerunt statim ad cellam se dedit nec raro alicui conquerebatur sed bonis

operibus se mancipavit se studendo, scribendo vel orando vel aliis. Et tandem senio grectus quia plures discipulos habuit in vita sua vidit maiorem partem chori repleti per discipulos suos quos instruxit pluribus laboribus et anxietatibus et illos admonuit dicens quod verbum crebrius : Videte ne forte sanctus ordo vilescat aut tepescat in vobis quia senes recedunt et iuvenes continue adveniunt quia ipsis cotidie locum facimus. Et sepius in fine oravit ut cum placeret altissimo quod spritus eius auferret breven ei moram faceret ne urinatione et aliis faedis necessitatibus corporis insudando servitoribus taedium et nauseam faciunt. Quod et factum est. Nam die Exaltationis s. crucis MCCCCC quarto satis fortiter et hilariter in refectorio convescens ad caenam parum doluit febricitando aliququaliter. Altera die que tunc erat dominica cum sequenti nocte graviter laborabat in febris et eadem extremam unctionem reverenter petiit et accepit. Altera autem esse feria 2a mane sub privatis missis parum de memoria et intellectu possidens cum caput suum verteret ad lecticam adstante infirmario et pro eo vel cum eo horas legente sprirtum exhalavit. Ipso infirmario ignorante. Cuius anima per misericordiam Dei requiescat in pace. Amen.

Jan van Hecke.

Item eodem anno die Bernardi vestitus fuit hic magister Joannes Hac promotus in artibus Parisiis Gandensis laicus et secularis et anno sequenti professus qui ordinavit hic unum Leonem annue pro anniversariis parentum suorum et fecit hic scribi suis expensis multos libros se in primis Catholicon preciosum quod iacet communiter in ecclesia ut omnes monachi habeant usufructum eius, quatam partem biblie quae

minor est ceteris partibus bona fractura, legendas sancti francisci, sancte Clare et sancte Colete in uno volumine in bastarda litera, Statuta in simili litera, Horas de domina in simili litera. Etiam ipsemet in propria persona scripsit psalterium magnam quod iacet semper in ecclesia in bona fractura et duo vesperalia magna et evangelia per totum annum ex quo diaconus cantat evangelia in choro. Et Omeliare dominicale quod ultime complevit et pro senio deficiens deterioram literam scripsit ut patet in fine eiusdem libri. Et nota quod idem frater Joannes Hac missus fuit mediantibus precibus propriis ad domum monasterium prope Brugas in qua mansit uno anno et mense et rediit dominica ante assumptionem Marie MCCCCLXXXI.

Iste etiam frater Joannes Hac monachus in vita sua erat cuiusdam simplicitatis et fervorem habens et se habere ostendens. Nam sepius abstinuissin pane et aqua, sed et cum noluisset comedere pitantiam venit ad vicinum suum vel ad ministros dicens : Date hoc propter Deum. Etiam pro simplicitate inseruit virgultam nova in antiquis baculis ... stantibus in horto suo et iam multo tempore arefactis et circumligans insertione cum fico dixit : Valde bene crescet istud virgultum propter pinguem ficum circumligatum et fere omni mane venit invisere virgultum an si convaluit et crevit. Et alia multa puerilia fecit. Tandem senio confectus multo tempore quasi puer custodire debuit unde comedere et urinare /v nobis presentibus cupiens nec quidem levavit vestimenta sua nec adiutorium petiit sed more puerili seipsum faedavit. Unde infirmarius ad hoc suspicionem se puerilitate eius habens apponens ei mensam et panem et valedicens ei abiit ad cellam suam dormire cupiens. Mane autem facto venit invisum predictum fratrem infirmum vel puerilem et ecce adhuc sedebat ad mensam suam cum apposito pane etc. et tunc innocentiam eius diligentius cepit habere custodiam. / Appropinquante autem termino quo moreretur non habui

sensum nec memoriam. Et prior cum conventu ad eum inungendum veniens nullum signum responsionis dedit. Unde propter ea communionem ei non dedit circa vii vel octavam horam noctis graviter laborans et pro amaritudinē mortis sepius volens surgere de lecto statim obiit. Cum ministri videssent quasi corporis eius solidationem et eum infriguis se laverunt corpus eius more solito et insuerunt more ordinis. Cum que iam fere totis insutus esset circumstantibus ministris ingenuit ad hoc semel laboriose ita quod gemitus vel anhelitus eius audiret ab eis et prolongavit tibias vel potius totum corpus suum per dimidium pedem vel palmam unam, ita quod ex toto resuendus esset. Cuius anima requievit in pace MCCCCXCVII in profesto Conceptionis beate Marie. Notetur propterea diligenter minus festive corpora senium involvantur minus autem corpora iuvenum que interdum reviviscunt.

Marcilius Voet.

Item eodem anno die Matthei Marcellus Voet de Steenbergis in finibus Brabantie circa Bergas super Zomam promotus in artibus Lovanii receptus fuit ad osculum et die Jeronimi inditus et anno sequenti professus qui ultra ea que exposita sunt pro vestibus et aliis necessariis suis tantum xi rnenenses semel hic apportavit. Iste monachus fuit magne litterature et plures libros in principio domus correxit ad rectum stilum et quasi post octo annos eo anno Lxx in principio martii ordinatus est vicarius et corrector fratre Joannes de Bruyne vicario promoti inprocuratorem propter recessum Jasparris procuratoris ad novam plantationem in Delft missum. Ipse etiam aliqua scripsit precipue unam magnum nocturnale pro infirmario ad legendum et alias horas diurnas et alia. Multum enim dilexit studium. Cumque continuasse

vicariam suam quatuor annis cum dimidio, priore Henrico per capitulum misericordiam impetrato electus est predictus Marcellus in priorem anno lxxv tertia Junii et ordinatus est pro /v eo in vicarium frater Joannes Biest de Flandria iuxta Geraldimontem. Et continuavit prioratus viriliter multis laboribus mediantibus. Multa contradictionem sustinens patientiam servavit et monasterium in edificiis et redditibus ampliavit et tandem cepit continuare ecclesiam novam in cuius opere defecit tam in necessariis ad aedificationem sc pecuniis et aliis et etiam magnis infirmitatibus tandem gravissime agonizans obiit xii anno sui officii anno MCCCCLXXXVII. Huius prioris legendam vide infra plenius anno lxxxvii.

Jan van Keulen.

Item in octavis Assumptionis beate Marie frater Joannes de Colonia sacerdos et frater de domo Nazareth in Bruxella qui iam ibunt mansum iuxta portam dictam Priems in eodem opido fuit qui vestitus natus de Colonia et anno sequenti professus, qui fuit hic aliquo tempore sacrista et cantor chori et corrector, qui circa annum lxxvii in Augusto ivit hospitatum ad domom de Ziriczee. Postmodum ad domum Hollandie et postmodum ad domum Capelle ubi anno lxxx fecit professionem die Marci Evangeliste vel circiter et adhuc manet. Qui scripsit hic pro domo quartum volumen legendarum hic anno lxxxiii profesto Bartholomaei in actu visitationis remissus fuit ad domum istam et die Bartholomaei post prandium ante vespas fecit hic iterum professionem / in manu prioris Marcilii et actu manet hic et scribit unum missale ex integro in bono fractura. Circa annum autem xcv mis-

sus est ad domum Distensem ibi moratus est circa tres annos pro quibus solvimus eis expensas. Inde reversus vixit nobiscum usque ad diem mortis suae. Tamen ante mortem suam iterum quasi habuit locum per instantiam suam in domo Buscoducensi ex quo prior ibi fuit quondam confrater noster et commonachus. Nota quod iste frater Joannes fuit bene litteratus sed multum mirabilis et infestus et molestus monachis et coquinae et priori presertim. Unde interdum nocturno tempore venit ad lectum eius volens habere quae voluit et non potuit propriam voluntatem vel passiones frangere. Sepius tamen precipue in prandio fuit valde strictus in ieiuniis et aliis observantiis ordinis et breve imbutus in militia spirituali sed tentatione irruente seipsum superare non potuit, unde sibi et fere omnibus fratribus onerosus fuit et ad hoc devenit ut per triennium vel ultra chorum non visitavit cum aliis et etiam aliquo tempore non celebravit. Nocte interdum duxit insomnis et alia multa passus est et etiam ruptus fuit tam graviter ut ruptura eius ad quantitatem unius capitis appareret vel ultra affligebatur extra et intra. Unde interdum licentias impetravit ut absque licentia presidentis per totum conventum scilicet monachos ad placitum visitaret quos multis displicuit cum esset citra obedientiam et communem pacem. Tandem tempore autumnali propter intemperiam incurrit raucedinem et multi alii e monachis similiter. Sed ipse proprio sensu dicit velle se tam diu abstinere a cibo donec raucedo recederet et sic aliquo tempore mirabiliter sobrium se continuit. Et abiecit dicens multi fuerunt iam infirmi oportet quod ego etiam infirmarem continuo defecit in naturalibus utputo propter nimiam sobrietatem quam servavit cum sanitate et cum voluisset cum ceteris gustare non veluit. Unde nusquam dolens nec aliquod membrum conquerens pulsus vitalis siluit. Unde quidam e monachis expertus de

silentio pulsus indicavit priori quod infra xiv horas moritur quod et factum est, et etiam usque ad illam ultimam horam exclusive vixit semper deficiendo paulatim. Et recipiens sacramentalia sua satis humiliter et quidam interrogantes fratre Johannes, quomodo est vobis num, nonne speras, firmiter respondit : Tanta perpessus sum quanta sanctus Antonius sustinuit quomodo non sperarem ? Et sic secundum nostrum videre satis / ~~xxx~~ bene et obedienter dispositus obdormivit in domino sed in punctu ante dissolutione sua petens adire sedem adduxerunt eum et ibidem expiravit. Cumque pauci adhuc dubitasset de eius dissolutione iterum reduxerunt mortuum quasi viventem ad lectum suum dicentes : Eamus frater, corpus exanime sum brachiis sustinantes quos erat horribile ac spectaculum videre. Et sic requievit in pace anno mcv quarto in profesto Lucie tempore completorii.